

Quæstionum

1613, 1

28.

14

Ex

PRÆCIPUIS UNIVER-
SI JURIS PUBLICI, SACRI AC

Privati Capitibus, ad Jus Civile, Feudale, Canonicum,
Saxonicum, Recessus Imperii, Constitutiones Electora-
les, moresque hodiernos spectantibus delibera-
tarum.

SEMICENTURIA.

Quam

Annunte DEO Opt. Maximo,

Adprobante Magnifico Jctorum Ordine,

PRÆSIDENTE

Amplissimo Viro,

DN. DOMINICO ARUMÆO, Jcto

eximio & Antecessore Publico, nec non Dicasterii
Provincialis & Scabinatus Adfessore,

In Academiâ Jenensi,

Pro consequendis in UTROQUE JURE insignibus & privile-
giis DOCTORALIBUS, publico Examini
subjicit

JOANNES Pein/ EICHSFELDIACUS.

Ad diem 15. Mensis Maii.


A. C. 1613.

JENÆ, Typis HENRICI Rauchmauls.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are difficult to discern but appear to be arranged in several lines.





Subsequentes Quæstiones, ad præcipuas juris sedes sparsim accommodare, & in earum decisionibus, salvo cujusq; melius sentientis iudicio sic statuere volui.

2. 1.

Et ius scriptum usum & consuetudinem, & vice versa, *Jus scriptum* usum ac consuetudinem Legem scriptam abrogare, nec *ptum* hac sibi invicem esse contraria.

2.

Consuetudinem, quâ legitima liberorum non solum *Consue-* deminuitur sed etiam tollitur, valere, nisi auctoritas specialis *tudo* legis, ut Const. El Saxon. eam impediatur.

3.

Vti hodiè Jurisdictionis ac Imperii alia & diversa à Statuta Priscis Romanorum temporibus est facies, ita etiam Civitatum statuta, absq; Principis confirmatione, modo id cum temperamento accipiamus valere. Tutius vero esse, si principis confirmatio accedat, nemo non videt.

4.

Nec non sponsalia etiam pura & quæ de presenti *Sponsalia* cant, mutuo dissensu partium dissolvi posse, tum ob juris civilis rationem, tum propter Juris Canonici literam, maxime cum præstantes Theologi non contradicant.

5.

Vitiatam quoq; & gravidam ex alio, pro virgine du- *Nuptia-* clam, contracto licet matrimonio & consummato, post rem

A 2

com-

compertam licite dimitti, quamvis rectius maritum facturum
pleriq; existiment, si vitiatam retineat, ei; delictum condo-
net; Sunt etiam qui suadeant, ut ejus quod interest nomine ali-
quid pecunie & alteram quasi dotem accipiat, Sanè ego non vi-
deo quâ ratione honestè ac sine infamia maculâ id fieri possit.

6.

Liberi il-
legitimi.

Statuto: ut nemo admittatur in ordines, nisi qui legi-
timam nativitatem probaverit, expositos infantes excludi, li-
cet in dubio aliàs pro legitimis haberi æquius sit.

7.

Legitima-
tio.

Titius ex concubinâ Thaide suscepit Filium, deinde di-
cit uxorem Seiam, quâ defunctâ in amplexus, legitimo tamen
matrimonio, sibi repetit priorem Thaidem. Hoc casu matri-
monium intermedium non officere legitimationi.

8.

Tutela
&

Cura.

Pupillum absq; Tutoris adsensu & auctoritate nec na-
turaliter quidem obligari, nisi in quantum locupletior factus
sit, aut dolum admiserit. Quid in minore dicemus condi-
tionem suam deteriore faciente? Hunc Curatore destitu-
tum efficaciter obligari, secus si Curatorem habeat. Invitos
autem adolescentes ne quidem hodierno jure curatorem accipe-
re, nec in eos constitutione Imperii juri civili derogatum esse.

9.

Domini-
um ejusq;
adquisitio
&

Traditio.

In questione: An Error & dissensus impediât do-
minii translationem, non levis quoq; videtur esse dissensus
Ictorum, ex quo non levis Error Interpp. hætenus proma-
navit. Cum in corpus quidem, inquit Julianus, quod tra-
ditur, consentiamus, in causis verò dissentiamus: non animad-
verto cur inefficax sit traditio. Veluti, si ego credam me ex
testamento tibi obligatum esse, ut fundum tradam; tu existi-
mes, ex stipulatu tibi eum deberi; Nam & si pecuniam nume-
ratam tibi tradam donandi gratiâ, tu eam quasi creditam ac-
cipias, constat proprietatem ad te transire, nec impedimento es-
se quod

se quod circa causam dandi atque accipiendi dissenserimus.
Contra Ulpianus: si ego pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuam accipias, Julianus scribit, donationem non esse, sed an mutua sit, videndum, & puto, nec mutuam esse: magisq; nummos accipientis non fieri, cum alia conditione acceperit &c. Videbimus quâ ratione illud dissidium componi possit.

10.

Vasallus Feudum citra ejus amissionem alienare nequit; Alienatio.
Quod in tantum procedere verius est, & si alienatione ista domini sui suam conditionem meliorem fecerit, & si quoq; alienatum & traditum feudum in continenti recuperaverit, licet etiam in magna necessitate, famis p. nuditatis, aris alieni constitutus ad alienationem processerit, quamvis ultimum cum temperamento accipiendum videatur. Justâ tamen ignorantia eum excusari aequius est. Quid si dubitaverit? Idipsum significationem habere injuria voluit Tullius.

11.

Servitutes luminum, & ne luminibus officiat, distinctas non esse, contra communem. Servitus realis.

12.

Vsufuctuarium non totum ad cautionem fidejussoriam, Personalis.
sed & pigneratitiam, imò & juratoriam admitti, aequius videri.

13.

Veram possessionem esse rerum corporalium, & possessionem incorporalium; Ideoq; & servitutes q. traditione sive patientiâ, itemq; prescriptione longi temporis indistinctè adquiri, in quâ necessariò & bonam fidem & titulum & patientiam domini requiri, verius esse. Prescriptio.

14.

Donationem liberis factam ob supervenientiam licet aliorum liberorum non revocari, neq; tunc beneficio l. si unquam C. de revoc. donat. locum dari. Donatio.

A 3

15. Mu-

Dos, dota-
litium.

*Mulierem mortuo demum marito dotem inferre vo-
lentem, & sibi ipsi dotalitium constitui postulantem, audien-
dam, modò unà cum dote inferat id, quod interest dotem suo
tempore non esse solutam, rectè hodiernam praxim obinuisse.*

Hereditas
testamen-
taria.

*Maritum Heredem mobiliarem indigitant Interpp.
Saxonici, Quod in tantum extendere placet, ut etiam uxor
nulla alia bona quam mobilia habens, in præjudicium mariti
de iis testari Jure Saxoniorum possit.*

Heredis
institutio.

*Sed quid si Maritus subscribat tale testamentum uxoris
de mobilibus disponentis? Non dubito quin tum jure subsistat.*

Aditio.
Legata.

*Quid si tunc cesset heres scriptus, & maritus ab intestato adeat
hereditatem in solis mobilibus consistentem, an tum legata ad
pias causas debebuntur? Vix concesserim.*

Hereditas
legitima.

*Extra hanc causam testati, id est, Maritum mortuà uxo-
re lucrari omnia ipsius mobilia (exceptis utensilibus) Jure Sa-
xon. nullum est dubium. Quò & pecuniam creditam, cen-
susq; & redditus, Constitutio Electoralis refert, si sc. solutionis
dies venerit ante mulieris obitum, An verò idem dicendum
sit, si veniat aut existat terminus intra 30. à morte computan-
dum? Non puto.*

Contra-
ctus no-
minati.

*Pecuniam meam, quam ex causâ mandati vel aliâ te-
cum habes, me consentiente crediti nomine retinuisti, ita ut
sortem mihi cum usuris ad certum tempus restituas. Quaero
hoc casu an contrahatur mutuum? Adfirmare videtur Ul-
pianus, negare Africanus, in quorum dissidio componendo val-
dè laborant Interpp. Nos inspectis penitus juris penetralibus
tentabimus an possit hic aliqua specialitatis ratio dari, ut cre-
ditum quidem non sit, licet data pecunia videatur & à me ad
te*

te profecta, tuq; ejus nomine de usuris nihilominus promissis, & periculo nummorum tenearis.

20.

Ementem scienter rem alienam re evicta agere regulariter ad pretii restitutionem non posse.

21.

Fratrem cum bona fratri confert, eo ipso se immiscere hereditati paterna videri, proindeq; q. ex contractu legatariis teneri. Q. Contractus.

22.

Si in alium contractum res non transeat, inquit IC. Vlp. Innominati. subsit tamen causa, eleganter Arist. Celso respondit, esse obligationem, ut puta: dedi tibi rem ut mihi aliam dares, dedi, ut aliquid facias, hoc synallagma, id est, contractum esse, & hinc nasci civilem obligationem. Et ideo puto (superaddit Vlp.) recte Iulianum a Mauritiano reprobatum in hoc: Dedi tibi Stichum ut Pamphilum manumittas, manumisisti, evictus est Stichus, Iulianus scribit, in factum actionem a pretore dandam. Ille ait, civilem incerti actionem, id est, praescriptis verbis, sufficere, esse enim contractum, quod Aristo Synallagma dicit, unde haec nascitur actio.

Contra Paullus inquit, si dedi tibi servum ut servum tuum manumitteres, & manumisisti, & is quem dedi, evictus est, si sciens dedi, de dolo in me dandam actionem Iulianus scribit, si ignorans, in factum civilem; Quod si faciam ut des, & posteaquam feci, cessas dare, nulla erit civilis actio, & ideo de dolo dabitur, In difficil. & perplexo hoc modo, quae possit iniri commoda interpretandi ratio, videbimus.

23.

Pacta venditioni adjecta: Ut servus venditus exportetur; Pacta Itemq; ne liceat in fundum venditum inferre mortuum, & ejusmodi si cum grano salis accipiantur, efficaciter obligationem & actionem parere neq; ll. 6. & 7. ff. de serv. export. & similes

cum

eum Cujacio & Hotomanno pro inexplicabilibus habendas.

24.

Dolus.

Contractus cum ad alia tum ad dolum, culpam, usuram, id quod interest, & pœnam casumq; fortuitum aliquando, si videlicet ita convenerit, nos obligant. Ex quibus dolus & si dans causam contractui bonaf. reddat eum ipso jure nullum, rectè tamen propter utilitatem & libertatem commerciorum contrahentibus alterutrum circumvenire permitti, ita ut circumventio ista dimidium justipretii non excedat.

25.

Culpa, casus fortuiti.

Incendium regulariter calui fortuito, Furtum vero culpæ adnumerari.

26.

Mora usura.

De usuris rectè traditum est, eas in bonafidei judiciis deberi ex morâ, in stricti vero juris contractibus ex stipulationis vinculo.

27.

Id quod interest pœna.

Lucius Titius accepit centena numerata à Publ. Mævio, sponditq; se numeraturum Calendis proximis, ni faxit, & si eo nomine satisfactum non erit, tunc eò amplius quò post solvet, Pœnæ nomine in singulos menses, inq; florenos centenos, florenos singulos dare promisit. Quærebatur an tali modo pœnâ plus comprehendi posset, quam reverà interest creditoris, creditum certâ die non restitui? Id quidem à jure civili alienum est: Sanè ut obviaretur technis & avaritiæ usurariorum El. Augusto in Conventu Torgæ habito, cum statibus convenit, ne usurarum legitimarum modum Pœna excederet.

28.

Solutio.]

Particulariter invito Creditori non rectè solvi.

29.

Compensatio, Retentio.

Quia facilius Retentio conceditur quam Compensatio in multis, ideoq; & actionem Commodati retentionem quidem admittere, Compensationem vero non item.

30. Qui-

30.

Quidam reus in disputationibus attestationum, contra Delicta
Testis personam excipiens, opposuit ei crimen aut delictum ali-
quod infamiam inferens, praemissa tamen protestatione, id non
animo injuriandi à se fieri. Quarebatur: An quia in proba-
tione succubuit, injuriarum actione teneatur? Affirmativam
quidem ita admitto ut moderatio aliqua adhibeatur.

31.

Magos qui Christiana fidei renunciantes pactum aut so- Crimina
cietatem cum Diabolo habent, igne cremari voluit Constanti- Poenae.
nus, Quod hac limitatione, si nimirum suis artibus infelici-
bus alicui damnum intulerint, moderari, reliquos verò extra-
ordinem puniri Lex Carolina voluit. Constitutio Electoralis
Saxon. contra, indistinctè ignis poenam statuit & si nemini no-
cuerint. Electoris opinionem divinis & civilibus legibus pu-
tamus consentaneam.

32.

Falluntur, qui actionem Finium regundorum bona fidei Actionem
judiciis adnumerant, ut & longius errant ii, qui actiones omnes
que ex equo & bono dari dicuntur, indiscretim bona fidei acti-
onibus aggregari putant.

33.

Mulier ratione dotis illata omnibus omninò creditori. Prælatio-
bus anteriorem hypothecam tam expressam quam tacitam ha- nes credi-
bentibus præferri jure civili inspecto verius esse, solis exceptis, torum.
qui in militiam crediderunt, quò referendam quoq; causam
primipilati; Fisco verò utpotè pariter privilegiato concurren-
te temporis rationem habendam, Nisi speciali lege aut statuto,
ut Const. Electorali hac res aliter se habeat.

34.

Interdicto unde vi, quia illud facinoris atrocitatem in se Interdi-
habet, rectiore sententiâ, vasallo contra dominum experiri non sta-
licere.

B

35. Pla-

Exceptio-
nes.

35.

Placet nobis inter exceptionem S^{cti} Velleiani & Macedoniani differentia, quod illa in debitorum gratiam, haec verò in creditorum odium detur, & proinde illi renunciari possit, huic verò minimè.

Probatio-
nes, præ-
sumtio-
nes.

36.

Vasallus feudo cadit, si, ut inquit Feudista, credentiam ad domini damnum scienter manifestaverit, id est, si arcana domini dolo malo revelaverit. Verum hoc quarimus, cui in dubio incumbat probatio, Dominone, vasallum scilicet malo proposito arcanum effutivisse, an verò vasallo, se dolo & nocendi consilio caruisse? Præsumtio doli hoc efficit, ut contra vasallum concludamus.

Judicium
ejusq; or-
do.

37.

Sententiam Citatione non legitimè factâ auctoritatem rei judicatae non obtineat. An autem sic lata ipso jure nulla erit? Vix concesserim.

Jurisdic-
tio.

38.

Concesso castro Feudali hodiè jurisdictionem quoq; concessam intelligi. Ast quamnam? Id omne vel ex verbis concessionis, vel ex territorii concessi jure, & personâ concedentis & cui conceditur, aestimandum videri.

Regalia.

39.

Venationum jus regale esse non omninò abnegarim licet & recto sensu ad servitutes referri possit.

Auctori-
tas pro-
pria.

40.

Defensionem necessariam corporis sui, ad suorum quoq; vim ac injuriam repellendam, item & res quoq; rectè extendi. His ex Jure Civili, Canonico, Feudali Saxonico consuetudinario sparsim ità delibatis ac definitis Coronidis loco lubet adnectere quaestiones subsequentes, publicum Imp. statum concernentes, de quibus quid concludendum sit, in ipsâ collatione videbimus.

Impe-

Imperii autem status cum partim ad Ecclesiastica partim
ad Politica se referat, primum dispiciemus.

41.

An Papa summam obtineat potestatem, ita ut non mi- Papa.
nus rectè quam verè sibi arrogaverit, se à Græcis ad Germanos
Imp. Romanum transtulisse, & etiamnum in ipsius esse mani-
bus quas vis Imperiorum & Regnorum translationes?

42.

Idem quoq; sibi Conciliorum ac Synodorum gubernatio- Concili-
um,
Synodus.
nem attribuit, ideoq; videbimus.

An Concilii interesse & Laici Principes possint ac de-
beant?

43.

Clerici seu Ecclesiastici, an honorum nomine, quæ pos- Clerici.
sident, sint ab omnibus tributis exempti?

44.

Quomodo Pace Religionis contineantur subditi, ubi an Religion- Fried.
beneficium Emigrationis sit voluntarium an verò necessa-
rium?

45.

An is qui Juris patronatus sequester est, vacante sa- Jus patro-
natus.
cerdotio habeat jus patronatus?

46.

Summam Imperii dignitatem Imperator, proximam Cæsar.
status & proceres Imperii obtinent, hinc querimus:

An absq; Adsensu Camera, solus Imperator ejusve Reichs-
Hof-
strafft/
Camera.
Electores.
consilium aulicum in causâ religionis rectè proscribat?

47.

Anno ætatis 18. an non tantum vigore aureæ bullæ ad
jus eligendi Imp. & officium aule Imperatoriæ, sed etiam ad
territorii gubernationem admittatur Electoris Filius?

48.

An sicuti Principes, ita & Civitates Imperiales gan- Principes:
Civitates:
deant

B 2

Auſtrā- *deant beneficio auſtregarum, ſi vel à Principe vel ab aliā Civi-*
ſt. *tate conveniantur?*

49.

Vaſalli,
ſubditi.

*Vaſalli ac ſubditi duorum dominorum inter ſe hoſtilibus
armis diſſidentium, cui contrā alterum inſervire, utriqꝫ, neu-
tri, an alterutri debeant?*

50.

Monera
collectæ.

*An quis ratione domicilii an verò honorum nomine ſit
collectandus?*


F I N I S.



X2617645

1077





B.I.G.

Farbkarte #13

num

1613, 1

28.

14

UNIVER- SI, SACRI AC

, Feudale, Canonicum,
onstitutiones Electora-
stantibus deliba-

TURIA.

t. Maximo,

orum Ordine,

N T E

Viro,

RUMÆO, Jcto

o, nec non Dicasterii
tus Adessore,

ensi,

URE insignibus & privile-
publico Examini

HSFELDIACUS.

nsis Maii.

3.

ICI Rauchmauls.